

DISSERTATIO IURIDICA INAUGURALIS
DE
NOVI OPERIS
NUNCIATIONE.

QVAM
AVSPICIIS AVGVSTISSIMIS REGIIS
EX AVCTORITATE
INCLYTI IURISCONSVLTORVM ORDINIS
PRO
*SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS*

RITE CAPESSENDIS

DIE III. MAII MDCCXCIV.

ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

DOMIN. MART. BRENTANO

MOENO-FRANCOFVRTANVS.

GOETTINGAE

CVRIBVS IO. CHRIST. DIETERICH.

. jur. civ.

71/6

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DOMINO FERDINANDO
LIBERO BARONI
DE DUMINIQUE
INVICTISSIMI ET GLORIOSISSIMI
ROMANORVM IMPERATORIS
CONSILIARIO INTIMO
REVERENDISSIMI ET SERENISSIMI
ELECTORIS TREVIRENSIS
STATVS ADMINISTRO INTIMO
NEC NON
SUPREMO REI EQVESTRIS MAGISTRO
ORDINIS POLON. AQVILAE ALBAE EQVITI
ET
ORDINIS IOHANNITICI EQVITI HONORARIO
CET.

SPECIMEN HOC QVALECVNQVE

VT PVBLICVM

OBSERVANTIAE SVAE ET REVERENTIAE

EXTET TESTIMONIUM

D. D. D.

CULTOR DEVOTISSIMVS

DOMINICVS MARTINVS BRENTANO.

T H E S E S.

Filii ex sponsa nati legitimi non sunt.

Stuprum simplex non infamat.

Mandatarius culpam leuissimam praestare debet.

Decimæ formaliter sumtae non debentur ex iure diuino.

Actio pignoratitia contra tertium possessorem domino non competit.

Pacta successoria familiaruu illustrium etiam sine confirmatione caesarea valida sunt.

In donatione remuneratoria euictio praestanda est.

Donatio remuneratoria 500 solidos excedens insinuari debet.

Tertius possessor hypothecae tam generalis quam specialis beneficio excussionis gaudet.

Ad vltiora matrimonii vota migranti non est licitum, plus transferre in secundum coniugem, quam filius vel filia prioris matrimonii habet, cui minima portio derelicta est.

T H E S I S


Illi ex quibus non legitime non sunt.
 Summum simplex non infundit.
 Distinguitur duplex in quantum presentia
 debet. *Deus est in se ipso.*
 Iamque formaliter summe non debentur
 ex parte diuina.
 Actio dignioris contra tertium posses-
 sorem bonorum in se compellit.
 Actio superioris formaliter in illustrantur
 etiam sine contentione casibus et alia sunt.
 In actionibus terminantibus actio prior
 tenet.
 In actionibus terminantibus hoc actio excedit
 non tenentur debet.
 Tertium per se hypothecae sunt genera-
 les quae in se respectu executionis gaudet.
 Ad alteram relationem non ingreditur
 ut est tertium per se transferre in quantum
 conuenit. quae sunt vel filia prioris vel
 non debet. et minima portio dicitur esse.

CONSPECTVS.

CAP. I. *De noui operis nunciationis
notione et speciebus.*

CAP. II. *De noui operis nunciatione
legitime peragenda;
vbi traditur*

1. Quando ea locum habeat; de-
inde
2. Quomodo fieri debeat; deni-
que vero
3. De personis agitur,
 - a) quae nouum opus nunciare
queunt, et
 - b) quibus illud nunciari potest.



CAP. III. *De noui operis nunciationis
effectu.*

CAP. IV. *De modis noui operis nun-
ciationis effectum tollendi.*

DE
NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

CAP. I.

Notio et species noui
operis nunciationis.

§. I.

N OVI OPERIS NVNCIATIO ICTis recen-
tioribus est *legitima prohibitio facta*
ei, qui contra pristinam formam opus
nouum facere conatur, eum in finem,
vt ne pergat, donec vel caussa plene
cognita vel satisdatum sit a). — OPUS
autem NOVUM, teste VLPIANO, facere
videtur, qui aut aedificando aut de-
trahendo pristinam faciem operis mu-
tat b).

A 4

a) Cf.

a) Cf. HEINECCII *elem. iur. ciuilib secundum ord. Pandectt. Lib. XXXIX. tit. I. §. 93.*

b) *L. I. §. II. de N. O. N. — Adde §. 12 et 13 eiusdem legis, vbi VLPIANUS ait: Hoc autem edictum (de noui operis nunciatione) non omnia opera complectitur, sed ea sola, quae solo coniuncta sunt, quorum aedificatio vel demolitio videtur opus nouum continere. Idcirco placuit, si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quamquam opus faciat, tamen ad hoc edictum non pertinere; quia ad ea opera, quae in solo fiunt, pertinet hoc edictum. — Si quis aedificium vetus fulciat, an opus nouum nunciare ei possumus? videamus. Et magis est, ne possimus; hic enim non opus nouum facit; sed veteri sustinendo remedium adhibet.*

§. II.

Diuidunt plerique noui operis nunciationem in *publicam* et *priuatum*, et hanc rursus in *realem* et *verbalem*; — *publicam* vocantes eam, quae fit *publica* auctoritate; *priuatum* contra, quae

quae priuata sit auctoritate, vel destructione operis noui, vel verbis solennibus, hac fere formula: *Denuncio tibi, ne quid in illo loco noui operis, me invito, facias.* — Nonnulli praeterea ab hisce tribus nunciationis speciebus nunciationem, quae per *iactum lapilli* fiebat, plane diuersam fuisse statuunt; quod alii tamen negare videntur, contendentes, iactum lapilli ritum fuisse solennem, ab eo, qui verbis nouum opus nunciabat, seruandum c).

c) J. H. BÖHMERUS (*introd. in ius Digestor. lib. XXXIX. tit. I. §. 2.*) eam noui operis nunciationem, quam Icti verbalem vocant, factam esse arbitratur verbis solennibus, iactu lapilli accedente; JULIUS GEORGIUS PAULLUS DU ROY contra (*commentatione de iactu lapilli, Helmst. 1782 euulgata, pag. 40*), ex *Lege 20. §. I. D. quod vi aut clam* patere credit, iactum lapilli fuisse nunciandi modum plane diuersum a nunciatione verbali.

Reprehendit vero hanc, quae in omnibus fere nostri aevi iureconsultorum scriptis reperitur, noui operis nunciationis diuisionem *Illustris PÜTTMANNUS, Academiae Lipsiensis summum decus d)*, noui operis nunciationem *verbalem*, quam vocant interpretes, solam et vnicam esse noui operis nunciationem; *realem* contra *σιδνοξυλον* esse affirmans. — Et probare studet hanc suam sententiam tum *Lege 3. §. 1 et 2. D. de N. O. N.*, vbi *VLPIANUS* *Si in loco communi*, inquit, *quid fiat, nunciatio locum habebit aduersus vicinum. Plane si vnus nostrum in communi loco faciat, non possum ego socius opus nouum ei nunciare; sed eum prohibebo communi diuidundo iudicio vel per praetorem. Quodsi socius meus in communi insula opus nouum faciat, et ego propriam habeam, cui nocetur: an opus nouum nunciare*
ei

ei possim? Et putat LABEO, non posse nunciare; quia possum eum alia ratione prohibere aedificare; hoc est vel per praetorem vel per arbitrum communi diuidundo; quae sententia vera est; — tum L. 5. §. 10. D. eod., ubi idem ille iureconsultus monet, quotiens quis in nostro aedificare vel in nostrum immittere vel proiicere velit: melius esse eum per praetorem vel per manum, id est lapilli ictum, prohibere, quam operis noui nunciatione. Quibus locis quum VLPPIANUS manifeste prohibitionem, quae fit per praetorem vel lapilli iactum, noui operis nunciationi opponat: eundem contendit Illustris PÜTTMANNUS testem nobis esse locupletem, eam noui operis nunciationem, quam ICTI nostri verbalem dicunt, solam et vnicam esse noui operis nunciationem. — Addit praeterea e), si iactus etiam lapilli aut prohibitio per praetorem facta noui operis nunciatio esset:

esset: rationem haud constare verbis
Legis §. 10. *D. de N. O. N.* laudatis:
*Melius esse eum per praetorem vel per
 manum i. e. lapilli ictum prohibere,
 quam operis noui nunciatione;* quae
 lucem accipiant ex *Lege* 7. §. 2. *D. quod
 vi aut clam*, vbi *VLPIANUS* ait, *licere
 enim debet aedificare ei, qui satisdederit,
 quum possesor hoc ipso constituatur.*
 Sic enim illis quoque remediis adhibitis
 eum, contra quem iis vteremur, pos-
 sessorem faceremus.

d) Cf. *PÜTTMANNI Probabil. Lib. I. cap. 20.*
p. 141 - 146.

e) *l. c. p. 144. 45.*

§. IV.

Haud tamen in eo subsistit *Illustris*
PÜTTMANNUS, vt suam probet sen-
 tentiam; sed argumenta etiam, qui-
 bus vulgaris noui operis nunciationis
 diuisio defendi solet, refutare conatur.
 Monet enim f), *Lege* 16. *D. de N. O.*
N., vbi *VLPIANUS*, *si opus nouum, in-*
 quit,

quit, praetor iusserit nunciari, deinde
 prohibuit, noui operis nunciationem
 publicam minime indicari; VLPIANUM
 enim hoc loco haudquaquam trade-
 re, praetorem ipsum nouum opus
 nunciare; sed dicere: si opus nouum
 praetor iusserit nunciari. Quemadmo-
 dum enim praetor in quibusdam caus-
 sis ab initio noui operis nunciationem
 denegauerit g), ita potuisse eum etiam
 concedere aut iubere nunciari, si quis
 hoc ab ipso petierit; licet hoc, VLPIA-
 NO teste h), haud fuerit necessarium.
 Vnde satis pateat, hunc ICTUM h. l.
 de noui operis nunciatione priuata lo-
 qui i). — Neque magis ex *Lege 5. D.*
de N. O. N. et *L. 20. D. quod vi aut*
clam colligi posse, realem dari noui
 operis nunciationem; siquidem illo lo-
 co VLPIANUS prohibitionem, quae fit
 per manum, noui operis nunciationi
 opponat; ex his autem, quae *Lege 20*
 leguntur, PAULLI verbis: *Prohibitus*
autem

autem intelligitur quolibet prohibentis actu; id est vel dicentis, se prohibere; vel manum opponentis lapillum iactantis prohibendi gratia novi operis nunciatio realis ideo exsculpi nequeat, quia, si quilibet prohibentis actus novi operis nunciatio dici possit, actio etiam negatoria et interdictum *quod vi aut clam* recte operis novi nunciatio dicerentur; quandoquidem his etiam remediis prohibeamur *h*).

f) *Ill. PÜTTMANNI Probab. I. 20. p. 143. 44.*

g) *L. 19. D. de N. O. N., ubi PAULLUS, in his quoque causis, inquit, in quibus ab initio operis novi denunciationem praetor denegat.*

h) Quippe qui *L. 1. §. 2. D. de N. O. N.* ait: *Nunciatio ex hoc edicto non habet necessariam praetoris aditionem; potest enim nunciare quis, etsi eum non adierit.*

i) Addit *Illustr. PÜTTMANNUS (l. c. p. 143. 44)*: “Etsi igitur a praetore novi operis nunciationem impetres, adhuc tamen privata est novi operis nunciatio. Aliud enim est operis novi nunciationem a praetore

praetore impetrare, aliud rursus, ideo praetoris auxilium implorare, vt ipse interdicto aedificantem prohibeat. Illud fit periculo impetrantis, remittiturque nunciatio, si aut iniusta fuisse deprehenditur, aut satisfactio nuncianti offertur; interdictum autem neque impetratur, nisi iure prohibendi explorato, neque tollitur satisfactione oblata. Quae quum ita sint, satis, ni fallor, patet, quantum differat, noui operis nunciationem a praetore impetres, an ipse praetor interdicto prohibeat, et quam incongrue illud noui operis nunciationis publicae nomine effertur.”

- k) Teste VLPIANO *Lege 6. §. 1. D. si seruit.*, vbi ait: *Sciendum tamen, in his seruitutibus* (scilicet altius non tollendi et similibus) *possessorem esse eum* (vicinum nempe, cui seruitus debetur) *iuris et petitozem. Et si forte non habeo aedificatum altius in meo, aduersarius meus possessor est. Nam quum nihil sit innouatum, ille possidet, et aedificantem me PROHIBERE potest et ciuili actione et interdicto Quod vi aut clam. Idem et si lapilli iactu impedierit.*

B

§. V.

Nec equidem eam solam noui operis nunciationis speciem, quae a nostris iuris interpretibus verbalis vocatur, apud Romanos noui operis nunciationis nomine notatam esse negauerim. Hoc enim effatis illis Ictorum Romanorum laudatis extra omnem dubitationis aleam posuisse videtur *Illustris PÜTTMANNUS.*

Cauendum tamen esse credo, ne propterea, quod in legibus Rom. ea sola noui operis nunciatio, quae hodie verbalis appellari solet, hoc nomen ferat, reliquos nunciandi modos secundum ius Romanum haud legitimos fuisse putemus. Satis enim superque patet ex *L. 3. §. 1. 2. et L. 5. §. 10. D. de N. O. N.* (vide supra §. 3.), nouum opus parantem *a praetore*, quominus aedificet, prohiberi posse; — quid? quod, id, quod ab alio in fundo nostro est aedificatum, *iure nostro a nobis destrui*,
non

non solum inde sequitur, quod vnicuique possessionem suam proprio ausu defendere licet *l*); verum probari etiam posse videtur *Lege 29. §. 1. D. ad Legem Aquiliam.* Quamuis enim ibidem *VLPIANUS* doceat, mihi non licere, protectum, quod vicinus supra domum meam nullo iure habeat, recidere; sed agendum mihi esse dicat cum vicino, "ei ius non esse, protectum habere:" idem tamen eodem loco refert, *Imperatorem SEVERUM* rescripsisse alicui, per cuius domum aquaeductus citra servitutem traiectus fuerit, "*iure suo posse eum intercidere;*" addens, merito hoc ab imperatore rescriptum esse, quandoquidem ille in suo protexerit, hic vero in alieno fecerit aquaeductum.


l) Cf. *L. 3. §. 9. L. 17. D. de vi et vi armata.*

§. VI.

Neque reprehendendi videntur interpretes, quod, titulum *Digestorum*

B 2

de



de N. O. N. illustrantes, non solum de verbali illa Romanorum noui operis nunciatione; sed etiam de prohibitione, quae fit per praetorem, nec non de noui operis destructione exponant. Recte enim de omnibus iis remediis, quibus vti potest is, in cuius praeiudicium nouum opus fit, vno eodemque loco agitur; vt taceam, illius prohibitionis, quae per praetorem fit, ipsos iureconsultos Romanos eodem hoc titulo mentionem iniicere.

Et, quamuis confitendum esse videatur, noui operis nunciationis nomen a nostris Ictis haud commode his reliquis remediis impositum esse: controuersiam tamen cum iis de hoc nomine habere nolim; modo ea, quae Icti Romani de noui operis nunciatione Romana, id est verbali, tradunt, haud incaute transferantur ad reliquos aedificantem prohibendi modos *m*).

m)

m) Negata enim v. g. nunciatione verbali, non semper negari prohibitionem, quae fit a praetore, patet ex *Lege* 3. §. 2. *D. de N. O. N.* — Cf. praeterea J. H. BÖHMERUS *de actt. Sect. II. Cap. IV. §. 44.*

CAP. II.

De noui operis nunciatione legitime peragenda.

§. VII.

Hisce de noui operis nunciationis notione et speciebus praemissis, de eadem legitime exercenda ita agemus, vt ante omnia videamus, quando ea locum habeat; — deinde, quo modo fieri possit, exponamus; — denique vero de personis tractemus, quae nouum opus nunciare queunt, et quibus illud nunciari potest.

I. Quando locum habeat N. O. N.

§. VIII.

Et ad primam quidem quod attinet quaestionem: *quando nempe locum habeat novi operis nunciatio*, satis expeditum esse videtur, tam *publicam* quam *verbalem* n) recte fieri, si quis aut in *publico* loco contra leges, aut in *priuato* siue *nostro* siue *suo* o) in iuris nostri praeiudicium N. O. p) moliatur; *realem* contra locum non habere, nisi aduersus eum, qui in *nostro* fundo opus nouum facit q); nec fieri posse, nisi in *continenti* r) et iudice nondum adito s).

Neque minus certum est, nouum opus nunciari non posse, nisi opere nondum perfecto. Absoluto enim opere, interdicto *Quod vi aut clam*, aut, si in loco publico vel sacro nouum opus fit, interdictis *Ne quid in loco sacro*, *Ne quid in loco publico ripaue publica fiat*, etc. etc. vtendum erit. Nam ait VLPIANUS t): *Hoc autem edictum*

ctum

ctum remediumque operis noui nunciationis aduersus futura opera inductum est, non aduersus praeterita; hoc est aduersus ea, quae nondum facta sunt, ne fiant. Nam si quid operis fuerit factum, quod fieri non debuit, cessat edictum de operis noui nunciatione; et erit transeundum ad interdictum Quod vi aut clam factum erit, vt restitatur, et Quod in loco sacro religiosoue, et Quod in flumine ripaue publica factum erit; nam his interdictis restituetur, si quid illicite factum est u).

n) L. 1. §. 17. D. de N. O. N.

o) Quamuis enim regulariter vnusquisque ita, vt sibi lubet, in suo fundo aedificare possit, licet inde vicinus forsan incommodo afficiatur: haud tamen permissum est, vt quis contra seruitutis ius aedificet (L. 8 et 9. de seruitt. et aqua). Quam ob rem VLPIANUS L. 15. D. de S. P. V. recte statuit: Quodcunque (is, qui seruitutem luminum debeat), ad luminis impedimentum faciat, prohiberi posse, si seruitus

debeatur; opusque ei nouum nunciari posse, si modo sic faciat, vt lumini noceat. Quid? quod alio loco (L. 11. D. eod.) affirmare haud dubitat, eum, qui luminibus vicinorum officere aliudue quid facere contra commodum eorum velit, formam ac statum antiquorum aedificiorum custodire debere. — Cf. du Roi de iactu lapilli p. 15. 16.

p) Quis nouum opus facere dicatur, supra (§. 1. ibique not. b.) expositum est.

q) Quum enim haec nunciatio eam solam ob causam licita sit, quia possessor etiam vi priuata possessionem suam defendere potest (cf. supra §. 5. ibique not. l.): eam ab eo tantum fieri posse, qui possidet locum, in quo vicinus noui quid molitur, manifestum est. — Quam ob rem LEYSERUM (*Sp.* 426. *m.* 2 - 4.) recte monuisse credo, ne dominium quidem ad nunciationem hanc faciendam sufficere, si possessio cum eo haud sit coniuncta; quandoquidem inde, quod rem meam, quam alter possidet, priuatim vindicare nequeam, consequi videatur, nec opus in ea facientem vi priuata prohiberi posse.

r) Eum

- r) Eum enim, qui cum armis venit, possumus cum armis repellere; sed *confestim* hoc fieri debet, non ex interuallo. *L. 3. §. 9. D. de vi et vi armata.* — Adde *L. 17. D. eod.*; nec non LEYSERUM *l. c.*
- s) Nam, si iudex interuenit, pendere lis incipit, quam turbare haud fas est. — Cf. LEYSERUS *l. c.*
- t) *L. 1. §. 1. D. de N. O. N.*
- u) Monet tamen LEYSERUS (*Spec. 426. m. 7.*) “Si is, cui opus factum noceat, de eo apud iudicem queratur, nec satis dilucide, quo remedio vti velit, in libello explicauerit, verba ambigue posita non de noui operis nunciatione, sed ex utilitate actoris interpretanda esse. *L. 66. D. de iudiciis.* Quin imo si quis, maxime per rusticitatem nouum opus expresse nunciauerit: iudicem tamen errorem hunc ex officio emendare et nunciationem in illam, quam institui oportuisset, actionem flectere debere (*c. 6. X. de iud. R. I. de anno 1551. §. 31. 35.*), scilicet in *actionem Quod vi aut clam*, aut si nulla vis et clandestinitas appareat, in *actionem negatoriam.*”

Dubium vero esse videtur, an, etiam opere nouo nondum inchoato, nunciatio fieri queat α); haud enim satis clare ad hanc quaestionem respondent Icti Romani. — Interea tamen haud negauerim, etiam aduersus eum, qui, licet nouum opus nondum inceperit, tamen illud iam parat, (dum v. g. vel locum, in quo nouum opus facere vult, purgat, vel lapides, ligna, aliamue materiem aduehi curat), recte nunciationem fieri γ); siquidem inde, eum noui quid moliri, satis superque patet. Neque obstare videtur huic sententiae *Lex 5. §. 2. D. de N. O. N.*, vbi VLPIANUS ait: *Nunciationem autem in re praesenti faciendam esse meminisse oportebit, id est eo loci, vbi opus fiat, siue quis aedificet, siue aedificare inchoet.* Quodam enim modo etiam is, qui nouum opus parat, lapides v. c. aduehens, aedificare inchoasse, dici posse

se

se videtur, licet opus ipsum nondum sit coeptum.

x) Cf. *Perill. WALCHII introd. in controuers. iur. civ. p. 722. edit. tertiae.*

y) LAUTERB. *Colleg. theor. pract. lib. XXXIX.*

T. I. §. 22.

§. X.

Nunciationem autem verbalem, vt J. H. BÖHMERUS 2) coniicit, obtinuisse tantum, si periculum fuerit in mora, seu vbi iudicis cessauerit copia, vehementer dubito. Nulla enim, quibus haec confirmari queat coniectura, summus ille iureconsultus habet argumenta, nisi hoc vnum, quod a iuris ratione sit alienum, sine iudice sibi ius dicere a), adeoque hic nunciandi modus “*exorbitans*” sit b). Vix autem et ne vix quidem puto, omnem *αυτοδικίαν* a iuris Romani ratione ita esse alienam, vt credere nobis non liceret, aedificantem verbis haud potuisse prohiberi, si periculum non fuerit in mora

ra

ra aut iudicis non cessauerit copia. —
 Accedit, quod, si BÖHMERI coniectura
 vera esset, vix fieri potuisset, vt inter
 multa ea, quae nobis supersunt, iu-
 reconsultorum Romanorum de noui
 operis nunciatione fragmenta, ne vnum
 quidem haberemus, in quo expresse
 hac de re ageretur.

2) Cf. J. H. BÖHMERI *Introd. in ius Digest.*
lib. XXXIX. T. I. 3. — *Add. eiusdem*
libellus de actt. Sect. II, Cap. 4. §. 42.
not. b. et §. 43.

a) *de actt. II, 4, 42. not. b. cit. in f.*

b) *Introd. in ius Dig. l. c.*

II. Quo modo fieri debeat N. O. N.

§. XI.

Sequitur, vt de modo, quo fieri
 debeat noui operis nunciatio, breuiter
 exponamus. — Quamquam enim iam
 supra (§. 2.) monuimus, illam aut pu-
 blica auctoritate fieri, aut priuata, et
 quidem vel verbis, vel operis noui de-
 structione,

structione, vel denique lapilli iactu: nonnulla tamen de modo, quo tam *publica*, quam *verbalis* nunciatio fieri debeat, et *lapilli iactus* olim factus sit, dicenda supersunt.

§. XII.

Publica vero noui operis nunciatio apud Romanos facta est *per praetorem* c), qui procul dubio ad preces eius, cuius intererat, aedificantem *per interdictum* d) prohibuit, quo minus aedificare pergeret, donec de eius iure constiterit; — hodie autem a *quocunque iudice*, qui ordinariam habet iurisdictionem, *per mandatum* e) fieri potest.

c) Cf. L. 3. §. 2 L. 5. §. 10. D. de N. O. N.

d) Cf. J. H. BÖHMERUS *de actt. Sect. II. Cap. 4. §. 42. in f.*

e) Cf. J. H. BÖHMERUS *l. c. nec non du Roi (Comment. de iactu lapilli p. 21. 22)*, qui praeterea docet, nihil referre, siue per litteras haec publica fiat nunciatio, siue per nuncium iuratum.

§. XIII.

§. XIII.

Verbalis contra ab eo, cui opus nouum est nociturum, ita facienda est, vt ad illud accedat *f*), ibique siue dominum siue vllum alium, qui domini operisue nomine in re praesenti est, et illi nunciationem factam potest renunciare *g*), quo minus aedificare pergat, verbis solennibus, formula fere supra (§. 2.) relata, prohibeat. Atque caute in ipsa hac nunciatione adhibetur notarius cum testibus; ne, si aedificans nunciationem factam esse neget, probatio desit, et sic eadem effectu careat *h*). — *Iactum* vero *lapilli*, quem ad nunciationem accedere debuisse nonnulli existimarunt (cf. supra §. 2.), prohibendi modum fuisse, a nunciatione verbali plane diuersum, credere mallet. PAULLUS enim, dum (*L. 20. §. 1. D. Quod vi aut clam*) *Prohibitus*, inquit, intelligitur quolibet prohibentis actu; i. e. vel dicentis, se prohibere,

*hibere, vel manum opponentis lapillum-
ve iactantis prohibendi gratia, mani-
feste eum, qui dicit se prohibere, di-
stinguit ab eo, qui manum opponit,
lapillumue iactat i). — Saltem dubi-
tari nequit, nunciationem verbalem
hodie etiam sine lapilli iactu recte
fieri k).*

f) Ait enim VLPPIANUS (L. 5. §. 2. D. de N. O. N.) nunciationem in re praesenti faciendam esse, seu eo loci, ubi nouum opus fiat. — Addatur §. 4. eiusdem legis, ubi idem ille iureconsultus, Si quis forte in foro, inquit, domino opus nouum nunciat, hanc nunciationem nullius esse momenti, exploratissimum est. In re enim praesenti, et, pene dixerim, ipso opere, hoc est in re ipsa nunciatio facienda est. Quod idcirco receptum est, vt confestim per nunciationem ab opere discedatur. — Caeterum, si alibi fiat nunciatio, illud incommodi sequitur, quod, dum venitur ad opus, si quid fuerit operis per ignorantiam factum, euenit, vt contra edictum praetoris sit factum.

g) Cf.



g) Cf. *L. 5. §. 3. D. de N. O. N.*

h) Recte enim monet *VLPIANUS* (*L. 8. §. 1. D. de N. O. N.*), eum, qui nouum opus nunciet, si quid operis iam factum sit, in testationem referre debere, ut appareat, quid postea factum sit. — Et testatur *GAI- LIUS* (*Obs. practt. Lib. I. Obs. 16. n. 12.*), in caussa reipublicae Lubecensis contra episcopum Lubicensem anno 1564 aliisque multis in caussis de nunciatione rite facta per instrumentum publicum iudici fidem esse factam.

i) Prohibitio autem, quae fit per manum, haud differre videtur ab ea, quae per lapilli iactum fit. Non solum enim inde, quod *PAULLUS* (*L. 20. §. 1. D. quod vi aut clam*) dicat, *Prohibitus intelligitur quolibet prohibentis actu, i. e. vel dicentis se prohibere, vel manum opponentis lapillumve iactantis* contrarium minime colligi potest, quandoquidem particula *ve* haud raro idem sit, ac *et*; sed confirmatur quoque sententia nostra *Lege 5. §. 10. D. de N. O. N.*, ubi *VLPIANUS*, melius esse, dicens, eum (qui in nostro aedificat) *per praetorem vel per manum, id est*

est

est lapilli ictum prohibere, quam operis noui nunciatione, expresse tradit, per manum prohibere nihil aliud esse, quam per lapilli ictum (seu iactum) prohibere. Neque reponi posse videtur huic argumento, ex *Lege 5 cit. petito*, verba: *id est lapilli ictum* a manu aliena apposita esse; qui enim haec verba glossam esse coniiciunt recentiore, ab homine indocto VLPIANI verbis adpictam, nulla huius coniecturae afferunt argumenta satis idonea (Cf. *Perill. WALCHII introd. in contr. iur. civ. p. 719. 20. ed. 3 tiae*). Nam inde sane, quod ritus noster, qui aliis locis *lapilli iactus* vocatur, h. l. *lapilli ictus* appellatur, haudquaquam consequi videtur, verba illa spuria esse. Facillime enim a scribis reponi potuit vocabulum *ictus* loco *iactus*; quemadmodum contra in HORATII *carmin. lib. I. carm. 25, 2.*, vbi legendum est *ictibus*, a nonnullis librariis male scriptum est *iactibus*.

A) Hunc ritum olim etiam in Germania adhibitum esse, patet ex litteris a ciuitate Brunsvicensi anno 1583 ad Imperatorem datis, quippe in quibus haec leguntur ver-

C

ba:

ba: Vnd ist sonst bemelts Puncts haben an deme, dass wir aus wichtigen und ansehentlichen, auch zu Recht erheblichen Ursachen bemelte Schiffarts Arbeit per *lapsum lapilli ad effectum actionis, quod vi aut clam*, verboten und angefochten. Cf. DU ROI *de iactu lapilli* p. 64; nec non LEYSERUS *Sp.* 426. m. 1. — Inde tamen, hunc ritum hodieque apud nos in usu esse, colligere nolo; assentiens potius LEYSERO (*l. c.*), certum esse affirmanti, eum, qui hodie simplicis lapilli iactu vteretur, ludibrio et adversariis et ipsis iudicibus futurum.

§. XIV.

De modo autem, quo apud Romanos prohibitio per lapilli *iactum* facta sit, nihil nos habere certi, fateri malo, quam hac de re aliquid affirmare, quod haud satis probari queat. Quamquam enim variis iuris Romani locis *l)* lapilli iactus mentio fiat: nullibi tamen, quomodo ille factus sit, exponitur. — Interea tamen probabile videtur,

tur,

tur, eum, qui ita aedificantem prohibebat, nonnisi vnum alterumue lapillum, vel ex opere ipso vel aliunde assumptum, in vicini fundum proiecisse; adeoque lapilli iactum fuisse ritum solennem *m*), quo forsitan violenta prohibitio significabatur *n*).

l) Cf. *L. 5. §. 10. D. de N. O. N. L. 1. §. 6. L. 20. §. 1. D. quod vi aut clam. L. 6. §. 1. D. si seruitus vindicetur.*

m) Falsam esse opinionem eorum, qui statuunt, eum, qui lapilli iactu aedificantem prohibebat, lapillos ad aedificandum praeparatos disiecisse (cf. du Roi *de lapilli iactu cap. 8*), inde, quod VLPPIANUS (*L. 1. §. 6. D. Quod vi aut clam*) dicit, *etiam iactu vel minimi lapilli prohiberi aedificantem posse*, plus quam manifestum est.

n) Vide JULIUM GEORG. PAULL. DU ROI (*Comment. de iactu lapilli cap. 5. 6. 7. 8.*) hac de re egregie disputantem.

III. *Quis nouum opus nunciare possit.*

§. XV.

Publici iuris tuendi gratia omnes *ciues* nouum opus nunciare queunt o); *priuati* autem *iuris* conseruandi caussa ab eo solo nouum opus recte nunciatur, *ad quem ea res* (cui nouum opus nociturum est) *pertinet*, i. e. cuius ex iure in rem interest, nouum opus non fieri p). Vnde licet manifestum sit, non solum *dominum*, sed creditorem etiam, qui *pignoris iure* praedium illud tenet, eosque, qui *seruitutem* in hoc fundo habent, nouum opus nunciare posse q): de singulis tamen hisce personis sigillatim agendum esse videtur.

o) *L. 3. §. 4. D. de N. O. N.*, vbi VLPPIANUS ait: *Si in publico aliquid fiat, omnes ciues opus nouum nunciare possunt*; cuius rei PAULLUS (*Lege 4. eod.*) hanc reddit rationem, quod *reipublicae intersit, quam plurimos ad defendendam suam caussam admittere.*

p) *L. 1. §. 19. D. de N. O. N.* Cf. HEINECC. *elem. iur. civ. sec. ord. Pand. XXXIX. T. I. §. 94. 97.*

q) E

q) E contra eos, qui rem, cui nocet nouum opus, possident ex iure in personam (v. c. inquilini) nouum opus nunciare non posse, ex *L. 3. §. 3. D. de N. O. N.* patere videtur.

§. XVI.

Dominum vero eius loci, cui ex nouo opere damnum imminet, nouum opus recte nunciare, patet ex *Lege vn. §. 3. D. de remiss.*, vbi VLPIANUS ait: *Ius habet nunciandi qui dominium habet.* — Sed vix est, vt hoc expressa lege probemus.

Monendum autem esse videtur, etiam *superficiario*, licet dominium habeat minus plenum, tamen noui operis nunciationem ab eodem hoc Icto concedi r); vnde recte colligi posse arbitror, etiam *emphyteuticarium* atque *vasallum* nunciandi ius habere.

Et praeterea silentio haud praeter-eunda sunt ea, quae VLPIANUS tradit de *sociis*, i. e. de condominis eius rei, cui nouo opere nocetur. — Docet

vero ille *s*), si in loco communi quid fiat (a vicino), nunciationem aduersus eum omnino locum habere; si contra vnus sociorum in communi loco nouum opus faciat, alium socium ei opus nouum nunciare non posse; sed eum prohibere debere communi diu- dundo iudicio, vel per praetorem *t*); atque alio loco *u*) addit, nunciationem, ab vno sociorum factam, omnibus non sufficere, sed singulis nunciare necesse esse; quia fieri possit, vt nunciatorum alter habeat, alter non habeat ius pro- hibendi.

r) *L. 3. §. 3. D. de N. O. N.*, vbi *VLPIANUS* ait: *Si ergo superficiarius sim et opus nouum fiat a vicino, an possim nunciare? Mouet, quod quasi inquilinus sum. Sed praetor mihi utilem in rem actionem dat, et ideo et seruitutum causa actio mihi dabitur, et operis noui nunciatio debeat mihi concedi.*

s) *L. 3. §. 1. D. eod.*

t) Quaerit praeterea *VLPIANUS* (*L. 3. §. 2. D. eod.*), *An socio meo, in communi insula nouum*

nouum opus facienti, quod noceat insulae meae propriae, nouum opus nunciare queam? Et respondet, Labeonem putasse, me non posse nunciare, quia possim eum alia ratione prohibere aedificare, hoc est vel per praetorem, vel per arbitrum communi diuidundo.

u) L. 5. §. 6. D. de N. O. N. — Adde L. 47. D. fam. ercisc.

§. XVII.

Deinde creditori, cui pignoris nomine praedium tenetur, nunciandi ius concedit CAIUS x), dum ait, permitendum ei esse, de iure (i. e. de seruitute) opus nouum nunciare; quia ei vindicatio seruitutis detur.

x) L. 9. D. de N. O. N.

§. XVIII.

Denique eos etiam, qui habent seruitutem, siue praedialem, siue personalem, cui nouum opus nociturum est, nunciare posse, tradit VLPPIANUS Lege vn. §. 3. 4. D. de remiss., vbi ait:

C 4

Ius

Ius habet nouum opus nunciandi, qui seruitutem (praedialem) habet. — Item Juliano placet, et fructuario vindicandarum seruitutum ius esse y). Secundum quod z) opus nouum nunciare poterit vicino.

- y) LABEO contra, NERVA atque MARCELLUS statuissent videntur, usufructuarium seruitutes, praedio fructuario debitas, vindicare non posse. Ait enim VLPPIANUS (L. 1. pr. D. si vsusfr. pet.) Si fundo fructuario seruitus debeat, Marcellus Laeonis et Neruae sententiam probat, existimantium, seruitutem quidem eum (usufructuarium) vindicare non posse, verum vsumfructum vindicaturum. Atque, cum illis ipsum VLPPIANUM etiam consensisse, patere videtur ex Lege 5. §. 1. D. eod., vbi, Si fundo, inquit, fructuario seruitus debeat, fructuarius non seruitutem, sed vsumfructum vindicare debet aduersus vicini fundi dominum. — Fortasse tamen omnes hi Icti tantum negarunt, usufructuarium proprio nomine seruitutes, fundo fructuario debitas, vindicare posse; minime

minime vero, ei licere, actionem confessoriam procuratorio nomine instituere,

- 2) Eadem fere ratione, vt ex CAII sententia (cf. supra §. 17.) creditori pignoratitio propterea nouum opus nunciare licet, quod ei seruitutum vindicatio datur. — Cf. quoque L. 3. §. 3. D. de N. O. N.

§. XIX.

Sciendum autem est, *usufructuarium*

1) soli *tertio* (haudquaquam domino praedii, cuius habet vsumfructum); nec 2) suo, sed *procuratorio* tantum nomine nouum opus nunciare posse. Loco enim supra laudato a) VLP:IANUS ad illa, quae transscripsimus verba, addit: *Ipsi autem domino praedii si nunciauerit (usufructuarius) remissio inutilis erit (quia etiam haec nunciatio inutilis est b); atque alio loco c), Vsufructuarius, inquit, opus nouum nunciare suo nomine non potest; sed procuratorio nomine d) nunciare poterit e).*

a) L. vii. §. 4. D. de remiss.



- b) Idem expressis verbis docet JULIANUS *Lege* 2. *D. de N. O. N.*, ex qua VLPPIANUS id, quod *Lege vn. §. 4. D. cit.* tradit, hausisse videtur. Ait enim JULIANUS: *Si autem domino praedii nunciauerit (usufructuarius), inutilis erit nunciatio; atque hanc huius iuris reddit rationem, quod, sicut aduersus vicinum, ita aduersus dominum agere nequeat, "ius ei non esse, inuito se altius aedificare;" sed, si hoc facto usufructus deterior fiat, vsumfructum petere debeat.*
- c) *L. 1. §. 20. D. de N. O. N.*
- d) Omnem enim eius rei, cuius habet vsumfructum, curam suscipit usufructuarius; adeo vt, si vsucapionem, quum potuisset, interpellare neglexerit, proprietatis aestimationem praestare teneatur. Cf. *L. 1. §. f. D. usufructuarius quemadm. cav.* Neque, quum procuratorio nomine agit, (saltem ex J. H. BÖHMERS sententia) mandato speciali indigere videtur; nam per ipsam usufructus concessionem mandatum habere videtur ad omnia ea agenda, sine quibus fundus seruari nequit. — Cf. BÖHMERS *de actt. Sect. II. c. 2. §. 37.*
- e) Potest vero usufructuarius, si nouum opus vicino nunciare nolit, etiam vsumfructum suum

suum

suum ab illo petere; — quae vindicatio ei praestat id, quod eius interest, opus nouum factum non esse. *L. 1. §. 20. D. de N. O. N.*

§. XX.

Et quod ad eos attinet, qui habent *seruitutem praedialem*, vix est, quod dubitemus, eosdem, siue *urbanam f)*, siue *rusticam* habeant seruitutem, recte nunciare. — Quamquam enim inde, quod JULIANUS g), eum, qui *viam* habet, si opus nouum nunciauerit *adversus eum, qui in via aedificat, nihil agere, tradit, nonnulli Icti recentiores h)*, omnes eos, qui vllam habent seruitutem rusticam, hoc iure carere colligant: admodum tamen, iis assentiri, dubito. Nam VLPIANUS i) generaliter dicit: *Ius habet nouum opus nunciandi, qui seruitutem habet.* Atque illud JULIANI effatum vario modo potest explicari, licet statuamus, Romanos iis, qui rusticam habent seruitutem

tem

tem, perinde ac iis, quibus urbana competit, nunciandi ius tribuisse. Possumus enim credere, circa eos, qui *viae* habent seruitutem, obtinuisse ius singulare, cuius ratio nobis sit incognita *k*); vel etiam cum CUIACIO *l*) coniiicere, quemadmodum vsufructuarius haud potuerit nouum opus nunciare aduersus dominum (cf. supra §. 19.), ita nec eos, qui praedialem habent seruitutem, domino praedii seruientis nunciare potuisse; nisi iis vi iuris seruitutis licuerit “intendere, ius domino non esse, in suo aedificandi” *m*). Quod enim si statuimus, facile patet, cur ei, qui viam habet, ius nouum opus nunciandi aduersus eum, qui in via aedificat, JULIANUS deneget; nam procul dubio loquitur de domino praedii seruientis, qui in hoc suo praedio aedificat, sed in via, quae ex iure seruitutis vicino debetur *n*). — Quoquo autem modo haec res sese habeat: publicam

blicam tamen noui operis nunciatio-
nem (ad quam haud omnia transferri
possunt, quae Romani de verbali tra-
dunt (cf. supra §. 6.), omnibus iis,
qui vllam habent seruitutem, conce-
dere haud dubitauerim o).

f) Iis, qui habent *seruitutem altius non tol-
lendi, vel oneris ferendi, vel ne lumini-
bus officiat, nunciandi ius expresse
concedit VLPIANUS. Postquam enim (l. 6.
§. 1. D. si seruit.) tradidit, eum, cui com-
petit seruitus altius non tollendi, quum
nihil sit innouatum, hanc seruitutem
possidere, et aedificantem prohibere posse
tum *ciuili actione* (confessoria), tum *in-
terdicto quod vi aut clam*, — addit: *idem
esse, si is* (qui hanc habeat seruitutem)
lapilli iactu impedierit aedificantem. —
Deinde §. 7. eiusdem legis docet, *Purrie-
tem meliorem quidem, quam in seruitute
(oneris ferendi) impositum sit* (pacto con-
uento), *facere licere* (domino praedii ser-
uientis); *deteriorem autem si fecerit, aut
per hanc actionem* (confessoriam) *aut per
noui operis nunciationem eundem prohi-
beri**

beri (a domino praedii dominantis). Denique vero *L. 15. D. de S. P. V.* tradit, *opus nouum nunciari posse ei* (cuius praedio imposita est seruitus, ne luminibus officiat), *si modo sic faciat, ut luminibus noceat.* Adde *L. 5. §. 9. D. de N. O. N.*

g) *L. 14. D. de N. O. N.*

h) Cf. J. H. BÖHMERS *introd. in ius Dig. lib. XXXIX. tit. 1. §. 7.* et eiusdem libell. *de actt. Sect. II. c. 4. §. 44.*

i) *L. vii. §. 3. D. de remiss.*

k) Memores enim nos esse oportet dicti illius, *Non omnium, quae a maioribus constituta sint, rationem reddi posse.*

l) *Obs. libr. I. Obs. 17.*

m) Seu, uti J. H. BÖHMERS (*de actt. l. c.*) hanc CUIACII sententiam exposuit: *nisi per seruitutem vicino (i. e. praedii seruiantis domino) directe ius aedificandi ademtum sit.* — Refert vero CUIACIUS in numerum eorum, quibus vi iuris seruitutis liceat intendere, ius domino non esse in suo aedificandi, eos, qui habent *ius altius tollendi, vel ne prospectui, vel ne luminibus officiat, vel oneris ferendi;*

di; atque laudat *Legem* 15. *D. de S. P. V.*,
L. 5. §. 9., *L. 8. pr. D. de N. O. N.* atque
L. 6. §. 7. D. si seruit.

n) Fateor, CUIACII coniecturae obstare videri
 posse *Legem* 5. §. 9. *D. de N. O. N.*, vbi
 VLPPIANUS docet, nouum opus aduersus
 eum nunciari posse, qui, *posteaquam*
aedibus suis imposuit seruitutem, contra
hanc seruitutem fecit. Fortasse tamen
 ICTUS ille nimis generatim locutus est.

o) Idem statuit J. H. BÖHMERUS *de actt. Sect.*
II. c. 4. §. 44.

§. XXI.

Caeterum, iam ex iis, quae de usu-
 fructuario diximus, nouum opus etiam
per procuratorem nunciari posse pa-
 tet p).

Atque eodem modo etiam *tutores*
et curatores nouum opus recte nun-
 ciant q).

Sed "*pupillo* non est operis noui
 nunciationis executio danda, nisi ad
 ipsius priuatum commodum res perti-
 neat

neat (veluti si luminibus eius aut prospectui officiat); non autem aliter eiusdem rata habebitur nunciatio, quam tutore auctore" r).

p) Monet idem expresse VLPPIANUS L. 1. §. 3. de N. O. N., vbi ait: *Nunciationem et nostro et alieno nomine facere possumus.*

q) L. 7. §. 1. D. eod.

r) L. 5. pr. D. eod.

IV. Cui opus nouum nunciari queat.

§. XXII.

Quamquam omnem noui operis nunciationem aduersus eum, qui noui quid moliatur, faciendam esse, manifestum sit: *verbis* tamen, vti iam supra (§. 13.) est obseruatum, non vtique domino ipsi nouum opus nunciari oportet; sed sufficit nunciari ei, qui domini operisue nomine in re praesenti est, et domino, nunciationem esse factam, renunciare potest s). — Et hoc sine vlla exceptione verum esse videtur.

tur.

tur. Haud enim refert, quis sit iste, vel cuius conditionis, qui in re praesenti fuit; nam, etsi *fabris* vel *opificibus*, qui eo loci operantur, vel *seruo t)*, vel *mulieri*, vel *puero*, vel *puellae* nunciatur, tenet nunciatio *u)*.

Si *plurium* res sit, in qua opus nouum fiat, et vni nunciatur, recte facta nunciatio est, omnibusque dominis videtur denunciatum. Sed si vnus aedificauerit post operis noui nunciationem, alii, qui non aedificauerint, non tenebuntur; siquidem factum alterius ei, qui nihil fecit, nocere non debet *x)*.

s) *L. 5. §. 3. D. de N. O. N.*

t) Licet seruus nunciare nequeat. *L. 5. §. 1. eod.*

u) *L. 5. §. 3. D. cit.* — Tenet etiam nunciatio *infantem* et *furiosum*; modo intelligenti, veluti fabro, facta fuerit. *L. 11. D. de N. O. N.*

x) *L. 5. §. 5. D. eod.*

CAP. III.

De noui operis nunci-
ationis effectu.

§. XXIII.

Noui operis nunciatione rite facta, is, cui nunciatum est, siue iure, siue iniuria nouum opus moliatur *y*), abstinere debet, quo minus aedificare pergat *z*); donec vel nunciatio missa facta (cf. infra §. 27.), vel, loco nunciationis missae, satisfactio de opere restituendo interposita (cf. infra §. 28.) *a*), vel alio modo nunciationis effectus sublatus fuerit (cf. infra §. 26.). Tunc enim recte aedificabit *b*).

y) *L. 1. pr. D. de N. O. N. — Adde L. 20. §. 1. eod.*

z) *Contemnere tamen potest nunciationem, quum vel publicae salutis et securitatis intersit, opus fieri, vel opus tale sit, vt eius mora periculum aliquod allatura sit. Vnde riuos vel cloacas vel reficere vel purgare volenti*

volenti non est verendum, ne sibi nunciatio noceat. Cf. *L. 5. §. 11. 12. 13. D. de N. O. N.* *L. 1. §. 13. D. de cloacis.* *L. 3. §. 8. D. de riuvis.* — Ait tamen *VLPPIANUS* (*L. 5. §. 13. D. cit.*) *Apud iudicem quaerendum debere: An talia fuerint opera, ut contemni nunciatio deberet?*

a) *L. 8. §. 4. L. 20. §. 1. D. de N. O. N.*

b) *L. 8. §. 4. cit.*

§. XXIV.

Si vero, antequam remissio facta vel satisfactio interposita fuerit, etc., nunciatio neglecta, quidquam operis fecerit: id, quod aedificauit, etiam si aedificandi ius habuerit, destruere compellitur c) vel interdicto *Quod vi aut clam**), — vi enim facere videtur, qui sprete nunciatio aedificare pergit d), — vel interdicto *restitutorio*, seu *demolitorio* e); quod nuncianti et eius heredibus ceterisque successoribus f) perpetuo g) datur; et non solum aduersus ipsum, qui opus fecit

D 2

aut

aut factum ratum habuit *h*) eiusque heredes *i*) competit; verum, ex JAVOLENI sententia *k*), in eius quoque successores singulares redditur *l*).

e) L. 20. §. 1. L. 21. §. 1. D. de N. O. N. —

Adde L. 1. §. 7. eod., vbi VLPPIANUS ait:

Si is, cui opus novum nunciatum est, ante remissionem aedificauerit; deinde coeperit agere, ius sibi esse, ita aedificatum habere: Praetor actionem ei negare debet, et interdictum in eum de opere restituendo reddere.

**) L. 7. §. 2. D. Quod vi aut clam.*

d) L. 1. §. 5. seqq. D. eod.

e) L. 21. §. 1. D. de N. O. N. L. 1. §. 7. eod.

L. 7. §. 2. D. Quod vi aut clam.

f) L. 20. §. 6. D. eod.

g) L. 20. §. 6. D. cit. — Praestat eo, quod

perpetuo datur, hoc interdictum interdi-

cto *Quod vi aut clam*, quippe quod post

annum non competit. Cf. L. 15. §. 3. D.

Quod vi aut clam.

h) L. 20. §. 7. D. de N. O. N.

i) L. 20. §. 8. L. 22. D. eod. — Debet tamen

heres tantum *patientiam destruendi operis*

aduersario praestare; quandoquidem in re-

stituendo

stituendo huiusmodi opere, eius, qui contra edictum fecit, poena versatur; haeres autem in poena non succedit. *L. 22. D. cit.* — *VLPIANUS* praeterea (*L. 20. §. 8. D. cit.*), *LABEONEM* existimasse refert, hoc interdictum aduersus heredem *duntaxat in id, quod ad eum peruenit, dari oportere, vel si quid dolo malo ipsius factum sit, quo minus perueniret*; atque nonnullos recte statuisse dicit, (aduersus heredes?) *tam actionem in factum esse dandam, quam interdictum.*

- k) Quaerit enim *JAVOLENUS* (*L. vlt. D. de N. O. N.*): *Si is, cui opus nouum nunciatum fuerit, praedium vendiderit, atque emtor aedificauerit, utrum emtor, an venditor teneatur, quod aduersus edictum factum sit?* atque respondet: *Quum, operis noui nunciatione facta, quid aedificatum fuerit, emtorem, i. e. dominum praediorum, teneri; quia nunciatio operis non personae fiat, sed is demum obligatus sit, qui eum locum possideat, in quem opus nouum nunciatum sit.* *CAIUS* contra (*L. 3. §. 3. D. de alien. iud. mut. caussa facta*), *Opus nouum,*

nouum, inquit, si tibi nunciauerim, tu-
 que eum locum alienaueris, et emtor opus
 fecerit, dicitur, TE hoc iudicio teneri;
 quasi neque tecum ex operis noui nun-
 ciatione agere possim, quia nihil fece-
 ris; neque cum eo, cui id alienaueris,
 quia ei nunciatum non sit. Sed loquitur
 CAIUS procul dubio de alienatione iudiciū
 mutandi causa facta, adeoque de actione
 in factum, qua id, quod interest, ab
 aduersario petimus. — Et notandum
 praeterea est, PAULLUM (L. 16. §. vlt.
 D. Quod vi aut clam) de interdicto
 Quod vi aut clam (quo eum, qui nun-
 ciauit, quoque uti posse diximus) haec
 tradere: In summa, qui 1) vi aut clam
 fecit, si possidet, patientiam et impen-
 sam tollendi operis; qui 2) fecit, nec
 possidet, impensam; qui 3) possidet, nec
 fecit, patientiam tantum debet.

¶ In nostris foris Mandata demolitoria de-
 cernuntur. Conf. LAUTERB. Coll. theor.
 pract. lib. XXXIX. T. I. §. 31. et BÖH-
 MERUS de actt. S. II. c. 4. §. 48.

§. XXV.

Praeterea nunciatione *verbali* eum facimus possessorem, cui nunciauimus *m)*; per *praetorem* contra vel *lapilli iactum* nunciantes non amittimus, sed potius seruamus possessionem *n)*. Quam ob rem *VLPIANUS* *o)* melius esse, dicit, eum, qui in nostro aedificat, per *praetorem* vel per *lapilli iactum* prohibere, quam noui operis nunciatione (*verbali*). — Tradunt tamen *ICTI recentiores* *p)*, hanc, quam Romani inter nunciandi modos statuerint differentiam, apud nos parum obseruari.

m) L. 5. §. 10. L. 1. §. 6. D. de N. O. N.

n) du Roi de iactu lapilli p. 49. — De ratione huius differentiae multa disputarunt viri docti, quae collegit du Roi *comment. cap. X.*

o) L. 5. §. 10. D. de N. O. N.

p) du Roi l. c. p. 54. Adde CAROLI F. W. DE SPANGENBERG *Versuch einer system. Darstellung der Lehre vom Besitz* §. 221. not. b.

CAP. IV.

Quibus modis noui operis nunciationis effectus tollitur.

§. XXVI.

Noui operis nunciationis effectus, de quibus hucusque egimus, variis tolluntur modis. Non solum enim iudex, vbi nuncians ius prohibendi, ne se inuito nouum opus fiat, non habet, ei, cui nunciatum est, aedificare permittit, *nunciationem missam faciens*; sed potest etiam ille, cui nunciatum est, licet remissio haud facta sit, tamen impune aedificare, vbi vel nuncianti *cavit* de destruendo id, quod post nunciationem aedificatum fuerit, si haud recte aedificatum esse apparuerit, vel ab eodem aedificandi ius *pactus* est. Et praeterea quoque *mortuo* eo, qui nunciauit, nec non praedio,

praedio, cui nouum opus nociturum est, ab eodem alienato, exstinguitur nunciatio *). —

*) Sed videntur haec omnia, quae hac §o tradidimus, in primis ad nunciationem verbalem pertinere.

§. XXVII.

Itaque primum remissione (seu nunciatione a praetore missa facta) nunciationis tolluntur effectus. — Ait vero PRAETOR q): Quod ius sit illi prohibere, ne se inuito fiat, in eo nunciatio teneat; caeterum nunciationem missam facio. (Atque VLPIANUS r) in commentario suo ad hunc edicti locum ita hac de re disputat: Verba praetoris ostendunt, remissionem ibi demum factam, vbi nunciatio non tenet; et nunciationem ibi demum voluisse praetorem tenere, vbi ius est nunciandi prohibere, ne se inuito fiat s). — Caeterum, siue satisfactio

D 5

inter-

interueniat, siue non, remissio facta hoc tantum remittit, in quo non tenuit nunciatio. — Plane si satisdatum est, exinde remissio facta est: non est necessaria remissio. — Item Juliano placet, et fructuario vindicandarum seruitutum ius esse. Secundum quod opus nouum nunciare poterit vicino, et remissio utilis erit; ipsi autem domino praedii si nunciauerit, remissio inutilis erit. — Vnde patere videtur, remissionem fuisse inutilem, atque adeo haud necessariam, si nunciatio erat inutilis t); licet VLPIANUS u), vti iam supra (§. 23. not. z.) est obseruatum, eum, qui vel opus facit, cuius mora periculum est allatura, vel cloacas ripamue reficit, si opus nouum ei fuerit nunciatum, apud iudicem quaerere debere dicat: *An talia fuerint opera, ut contemni nunciatio debeat?*

q) L. vn. pr. D. de remiss.

r) L. vn. §. 2 et 4. D. eod.

s) Prae-

s) Praeterea et tunc, quum is, qui procuratorio nomine nouum opus nunciat, non satisdat, *eam rem dominum ratam habiturum*, etiamsi verus sit procurator, tamen remitti nunciationem, discimus ex *L. 5. §. 18. D. de N. O. N.* — Nec dubito assentiri LAUTERBACHIO, qui (*Coll. theor. pract. lib. XXXIX. T. I. §. 36. n. 1.*) ex *L. 5. §. 14. D. eod.* colligit, remittendam esse nunciationem, si is, qui nunciauit, iurare nolit, *se non calumniae causa opus nouum nunciasset.*

t) Tradit enim JULIANUS (*L. 2. D. eod.*), *inutilem* esse nunciationem, si domino praedii nunciauerit usufructuarius,

u) *L. 5. §. 12. D. eod.*

§. XXVIII.

Deinde, saltem ex *iure digestorum* x), is, cui nunciatum est, ubi vel *cavit* y) nuncianti, se destructurum esse id, quod post nunciationem aedificatum fuerit, si non recte aedificauerit; vel per eum non stat, quo minus hac de re cauerit z), impune potest aedifi-

aedificare, atque, si nuncians eum facere volentem prohibeat, contra hunc *vti interdicto prohibitorio*. Ait enim PRAETOR a), *Quem in locum nunciatum est, ne quid operis noui fieret, qua de re agitur, si de ea re satisdatum est, quod eius cautum sit, aut per te stat, quo minus satis detur, quo minus illi in eo loco opus facere liceat, vim fieri veto.*

Sed constituit JUSTINIANUS b), Praefectum urbi, vel in prouincia eius Rectorem, festinare debere, intra tres menses causam dirimere; sin vero aliquod fuerit quocunque modo ad decisionem ambiguitatis impedimentum, licentiam habere eum, qui aedificationem deproperat, opus, de quo agitur, efficere; prius fideiussore ab eo dato officio urbicariae Praefecturae vel prouinciali, *“Vt, si non recte aedificauerit, omne opus, quod post denunciationem fecerit, suis*

suis sumtibus destruet." — Ex qua constitutione plerique c), vti videtur, colligunt, cautionem hanc ex iure Romano nouissimo demum post tres menses, intra quos lis haud finiri potuit, interponi posse d); licet mo- neant e), hodie huius temporis ratio- nem non haberi.

∞) Cf. L. 5. §. 17. L. 8. §. 2. L. 12. L. 20. §. 5 *sqq.* L. 21. §. 1. 7. *D. de N. O. N.*

y) Atque, si opus fit in loco priuato, postulare potest, vti videtur, nunciatus, vt is, cui nunciauit, *fideiussoribus* caueat. Si contra nunciauit ei, qui aliquid contra leges in publico loco facit, *repromissione* contentus esse debet. L. 8. §. 3. *D. de N. O. N.*

z) L. 20. §. 5. *D. de N. O. N.*, vbi VLPPIANUS ait: *Si quis paratus fuerit satisfacere; deinde actor stipulare nolit: in ea causa est, vt remitti debeat. Nam, quum per actorem fiet: apparet, in ea causa esse, vt remitti debeat.*

a) L. 20. §. 9. *D. de N. O. N.*

b) L. vn. C. eod.

c) Conf.

- c) Conf. LAUTERBACH. *Coll. theor. pract. lib. XXXIX. T. I. §. 35.* — Adde *c. vlt. X. de N. O. N.*, vbi GREGORIUS IX., *Is, cui opus nouum, inquit, te nunciasset proponis, non obstante cautione, quae offertur ab ipso de opere destruendo, si non iure aedificatum existat, tenetur te per trium mensium spatium expectare, iuris tui praeiudicium probare volentem.*
- d) Quam huius loci interpretationem quamvis falsam esse haud affirmauerim: coniiicere tamen, vt arbitror, quis posset, etiam intra tres menses cautionem interponi posse; modo appareat, litem esse tam ambiguam, vt intra hoc temporis spatium dirimi non possit.
- e) Cf. HELLFELDII *Iurispr. forens. §. 1675.* et WERNHERI *Obs. P. VII. Obs. 30* ibidem cit. Adde BERGERI *Oecon. iur. lib. II. T. VI. n. 3. not. 9. p. 429. edit. 6tae.*

§. XXIX.

Porro *pacto* etiam, quo conuenit ei, cui nunciatum est, cum eo, qui nunciavit, *vt illi opus facere liceat, nunciationis*

tionis effectus tolluntur. — Quod quamvis satis clarum sit: CELSUS tamen existimasse videtur, hac de re eo nomine dubitari posse, quod litigatores post novi operis nunciationem se committant iurisdictioni praetoriae *f*). Refert enim VLPPIANUS *g*), apud Celsum libro 12 Digestorum quaesitum esse: *Si post opus nouum nunciatum, conueniat tibi cum adversario, vt opus faceres, an danda sit conuentionis exceptio?* — Celsum vero respondisse, *Dandam* (conuentionis exceptionem), *nec esse periculum, ne pactio priuatorum iussui praetoris anteposita videatur.* Quum enim praetor nihil aliud agat, quam hoc, vt controversias litigantium dirimat: eum etiam, si illi ab his sponte recesserint, hoc ratum habere oportere.

f) L. 1. §. 9. D. de N. O. N.

g) L. 1. §. 10. D. eod.

Denique vero *morte* eius, qui nunciavit, sicut praedii, cui opus nouum nociturum erat, *alienatione* nunciationem exstingui, VLPIANUS *h)* docet. Sed addit *i)*: Quodsi *is, cui nouum opus nunciatum erat*, decesserit, vel aedes alienauerit *k)*, non exstingui nunciationem *l)*; eamque ob rem alio loco *m)* tradit, operis noui nunciationem *in rem*, non in personam fieri *n)*.

h) L. 8. §. 6. D. eod.

i) L. 8. §. 7. D. eod.

k) Cf. cum hoc VLPIANI effato loca supra (§. 24. not. *k)*) laudata.

l) Idque ex eo apparere dicit VLPIANUS, quod in stipulatione, quae ex hac causa interponatur, etiam heredis mentio fiat.

m) L. 10. D. de N. O. N.

n) Idem IAVOLENUS docet L. 23. supra (§. 24. not. *k)*) laudata, vbi ait: *N. O. N. non personae fit, et is demum obligatus est, qui eum locum possidet, in quem opus nouum nunciatum est.*